



Simon natus est honestis parētibus, & rei rusticae studiosis, circa oppidum Sueuiae Feringen, Anno millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio, ditionis comitum in hochen Zollerem. Is cum præclara indole esset præditus, à pueris operam literis dedit, & earum rudimenta facillè in patria, atque 1507 Pfortzheimij sub Gerbelio & Simlero, unà cū Melanchtone, percepit. Inde sese ad varias Academias contulit, atq; artibus & linguis præclaram operam nauauit. Postea quoq; Viennam Austriae peruenit, et liberaliū artiū Magister creatus, in ea schola Graecæ linguae professor constituitur. eam functionem is magna laude obiuit, atq; etiam Medicinæ &

sacrae Theologiae studium sibi familiarissimum reddidit. Itaq; cum Euangelij doctrinam percepisset, eam suscepit, & contra aduersarios fortiter defendit, ita ut etiā multis periculis expositus fuerit, quibus tamen Deus ipsum mirabiliter liberauit. Potissimum autē id Budae Vngarorum apparuit, ubi per aliquot annos scholae præfuerat. Ibi enim à monachis accusatus in carceratur, & nobilium quorundam opera liberatur. Inde Vuitebergam peruenit, & cum Lutheo & Melanchtone de uarijs rebus cōtulit. postea in patriam reuersus, à Ludouico Palatino Heydelbergā ad Graecam professionē uocat, anno 1523. Ibi magna dexteritate docuit, & Euāgelicam religionem quantū potuit promouit. Accidit quandoq; cum Spire conuentus religionis gratia Imperij haberetur, ut etiam Grynæus ex Heydelberga se eò cōferret, ut Melanchtonem & alios amicos salutaret. Ibi cum Fabrum præfulem Viennensem audiuisset in concione quosdā errores defendere, sequitur egredientem ex templo, ac reuerenter salutatur. Postea narrat, se nō petulantia aliqua sed bono studio moueri, ut quædam dicat. Non detrectat Faber colloquium.